DE SACROSANCTA
ET INDIVIDUA
TRINITATE
ORATIO
HABITA IN SACELLO PONTIFICIO VATICANO
AD SANCTISSIMUM D. N.
PIUM SEXTUM
AB JOSEPHO SORBOLONGHI
PATRICIO ROMANO
COLLEGII CLEMENTINI CONVICTORE.





ROMAE MDCCXCIV.
EX TYPOGRAPHIA PILUCCHI CRACAS
SUPERIORUM FACULTATE.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO SEXTO

PONTIFICI MAXIMO

JOSEPH SORBOLONGHI
FELICITATEM



Ihil erit mihi, BEATISSIME PATER, magnopere laborandum, ut eas causas commemorem, quae, meam hanc, de Sacrosanctae individuae TRINITATIS

sacramento ineffabili orationem, amplissimo ut Tuo Nomini inscriberem, potissimum suaserunt. Cum enim in tam sublimi Divinitatis mysterio, licet breviter, explicando, praeterea in Dei sanctitate aliquanto fusius amplificanda, ea tota versetur, tanquam jure suo, pertinere ad Te quam maxime videbatur, quem Pontificem Maximum, mysteriorum Dei Custodem integerrimum veneramur, quique et sacerdotio, et potestate, et virtute in primis, ad Deum tam proxime accedens, Sanctissimus apud omnes haberis jure merito et appellaris. Certe equidem, cum apud Te nuper, tanta circumdatum majestate, qua nulla in terris major, de his summis rebus dissererem, ipsi profecto Numini adesse videbar, atque ex Tuae sanctitatis splendore, tanquam ex imagine, ejus, cujus in terris optime vice fungeris, ratione aliqua sanctitatem conijciebam. Quis porro sanctum esse dubitet, quem ad apicem tantae aucto-

ri-


ritatis evectum, sanctae Ecclesiae suae Moderatorem, sanctae Civitatis Principem a Deo constitutum, tanta sapientia, tanta animi fortitudine, tanta pietate, tanto denique religionis studio, Christianam rempublicam, et Romanum regnum sanctissime administrantem, intuemur omnes et admiramur? Quae omnia, aliaque pariter illustria, insignia, praeclara permulta, quae sanctitatem nobis demonstrant Tuam, patiaris, BEATISSIME PATER; qui de Deo parum, de Principe nihil prope locutus, cuncta consulto hoc loco reticeam. Hoc unum compendio dicam, eximiam prorsus ac singularem sanctitatem Tuam istam censeri oportere, quam pluribus Divinae erga Te benevolentiae argumentis, Deo esse acceptissimam intelligimus. Quod namque, ut caetera sileam, de profligatis novorum barbarorum copiis, tot praeclaros nuper triumphos Christiani exercitus reportarint, uni utique Omnipotenti Deo acceptum refe-

rimus, ita tamen ut, sanctissimum Te Israel Ducem, in monte orantem dum praeliabatur, victoriam a Domino exercituum impetrasse credamus. Quare mirum non debet esse, si non haec tua tantum Urbs, non Italia modo, et finitimae Italiae regiones, sed et Europa universa, totusque Christianus orbis, dum Te, Leonum, et Pii cognominis virtutibus praefulgentem conspiciunt, mirabilesque insuper tantarum virtutum intuentur effectus, sperent quam maxime, efferatos hosce religionis sanctissimae, atque humani generis hostes, Tuis apud Deum meritis penitus conterendos; novaque interim laudum praeconia, laudibus Tuis addenda veteribus meditentur. Id quoque fecit, BEATISSIME PATER, ut orationem hanc Sanctitati Tuae sistere cogitarem, occasionem nactus exoptatissimam, Tibi ut coram, non meo tantum, sed et totius Clementini Collegii Tui nomine, recentes Christianorum triumphos, qui Tui

prae-

praecipue triumphi sunt, gestienti vehementer animo gratularer. Restat, ut quidquid muneris istud sit, certissimum tamen obsequii cultusque erga Te mei argumentum, ea qua soles excipias humanitate; meque interim, collegas meos omnes, ac moderatores nostros, Tuarum virtutum observantissimos, maximo Tibi rerum suarum Patrono beneficentissimo, felicem sacri imperii diuturnitatem, votis omnibus exoptantes, benedictione Apostolica prosequaris.





ORATIO



LAudationem Domini (*a*), BEATISSIME PATER, quam jamdiu loqui desideraveram, nulla profecto dies magis exigit, quam quae Sanctae TRINITATI Augustissimae consecrata, tanta hodie per orbem terrarum solemnitate celebratur. Quod enim trini unius Dei, in hac tantae laetitiae die, ineffabile recolitur sacramentum, in quo quidquid de deitatis majestate, catholica veritate edocti sentimus, divinarumque omnium dispensationum complexus continetur, diem profecto Domini praecipuo jure appellandam, neque aliter, quam in Dei laudatione transigendam, existimamus. Et quamvis satis superque compertum sit, quod nulla mens ad cogitandum de Deo, qui incomprehensibilis est, nulla ad loquendum de eo, qui est ineffabilis, lingua sufficiat (*b*); cum tamen, et de Trinitatis mysterio, pro vete-

ri consuetudine, jubear dicere, simulque, ad Dei laudem pronunciandam, festivitatis hodiernae celebritas ipsa compellat, utrumque, pro tenuitate mea, peragere posse arbitror, si totius et orationis, et laudationis, ex scriptura Dei, hauriam argumentum. Ne forte igitur, quem laudare contendimus, nostra per ignorantiam offendat laudatio, Sancti Spiritus ducente virtute, ad magni Dei omnipotentis evecti consessum, a beatissimis spiritibus, qui faciem velantes suam, Dei magnitudinem assidue confitentur et laudant, quid de ejus essentia sentiendum, quid de ejus majestate sit praedicandum, intelligamus. Qui dum, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, *Dominus Deus exercituum* (*c*), in vocis jubilatione proclamant, duo praecipue, si diligenter attendimus, aptissime nobis videntur significare. Primum scilicet, unam prorsus in tribus hypostasibus divinitatem esse, et dominationem, ac proinde Sanctae individuae Trinitatis in Angelico illo trisagio aperiri mysterium; alterum vero, in Deo sanctitatis laudem, praecipuam esse omnium et preaclarissimam.

Naturae itaque unitatem in hypostasum trinitate, et personarum trinitatem in divinae essentiae unitate, per trisagium hymnum apertissima declaratione manifestatam asserere non dubitamus, cum fere omnes, Deo plenos, Ecclesiae Patres, hujusce intellectionis, tanquam duces auctoresque habeamus. Hieronymus siquidem mirificam illam visionem, quam Isaias habuit expendens: *Seraphim*, inquit, *invicem se ad laudes Domini cohortantur et dicunt*, *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus exercituum*, *ut mysterium Trinitatis in una divinitate demonstrent* (*d*). Hieronymo consentit Fulgentius, qui mysterium hoc in visione illa Prophetae revelatum pronuncians: *in eo*, inquit, *quod dicitur tertio*, *Sanctus*, *personarum trinitatem*; *in eo vero quod dicitur semel*, *Dominus Deus exercituum*, *divinae naturae cognoscimus unitatem* (*e*).

Ac

Ac ne sexcenta aliorum afferam praeclarissima testimonia quae extant (*f*), eandem sententiam Ambrosii auctoritate satis est confirmare. *Cherubim*, ait, *et Seraphim indefessis vocibus laudant, et dicunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.... Ter repetunt, et idem dicunt, ut etiam in hymno, distinctionem trinitatis, et divinitatis intelligas unitatem* (*g*). Quod equidem tali ratione intelligimus, ut cum Seraphim, vocem illam, Sanctus, tertio proferunt, tres personas absolute ostendant, ab se invicem proprietate distinctas; cum vero semel trinae repetitioni subdunt, Dominus Deus exercituum, unam dominationem, unam majestatis gloriam, unam Deitatis essentiam in personarum trinitate declarent. Quare optimo quidem jure Joannes Chrysostomus, concinnam illam modulatamque Angelici agminis symphoniam, non laudes modo asserit Dei esse, sed accuratam quoque dogmatum disciplinam (*h*). Etenim, cum ex divina revelatione, fidei nostrae propositum sit altissimum omnium divinitatis mysterium illud, quod imperscrutabile omnibus, cuique adorandum, ne Angelicis quidem verbis explicari ullatenus possit (*i*), quem scilicet rerum universitatis constitutorem ac moderatorem colimus Deum, unum profecto natura esse, eundemque simul personis trinum; in tribus vero personis, cum proprietatis distinctione, unam eandemque esse divinitatis essentiam, ita ut, quamvis unaquaeque persona sit Deus, non tres tamen Deos, sed unum esse credamus Deum; in hac autem proprietatis distinctione, nullam personarum, aliam aut praecedere aeternitate, aut magnitudine excedere, aut potestate superare, verum unam trium prorsus aeternitatem, unam immensitatem, unam in quibuscumque perfectionibus aequalitatem, adeo ut, in Trinitate perfecta, et unitas potestatis, et plenitudo adoretur divinitatis; totum hoc, recte concludimus, de trinitatis unitate, religionis catholicae dogma praecipuum, in laudatio-

ne

ne illa seraphica contineri, in qua et personarum distinctio, et essentiae unitas, et majestatis aequalitas declaratur.

Et quoniam ad majestatem, quae in Trinitate adoratur, transiit oratio, quid est quod Angelicae illae mirabilesque virtutes, quamvis omnia, quae de summa Dei majestate praedicantur, in verbis illis, Dominus Deus exercituum, contineri arbitremur, unam, prae caeteris, alterna modulatione psallentes, resonant sanctitatem? Annon id propterea sapienti consilio, per summas illas intelligentias, quae docente Spiritu Sancto, veram didicerant Trinitatis laudem (*k*), factum existimabimus, quod in Deo sanctitatis laus, omnium praecipua habeatur et praeclarissima? Cum enim, ex Dionysii Areopagitae definitione, sanctitas sit, ab omni scelere libera, omnino perfecta, atque omni ex parte immaculata puritas (*l*); eam prae aliis omnibus excellentiis ac dignitatibus (praestantissimi Theologi (*m*) utar hic fere verbis), peculiariter sibi propriam vindicat Deus, cujus substantiam summi philosophi, et divinarum rerum scriptores, munditia et sanctitate definire maluerunt. Qui cum Dei naturam, et voluntatem, ac quidquid in Deo est, unica rebusque aliis incommunicabili proprietate vellent exprimere, non virtutis quidem, non divinitatis, aut reliquis tantae majestati consentaneis nominibus usi sunt, sed munditiae et sanctitatis significationibus; ac propterea, Actum purum, deitatis dixere substantiam, eandem certe ipsam, definitione hac, mundissimam esse ac sanctissimam statuentes. Quod si mirum alicui fortasse videri possit, Dei naturam, de qua toties inter theologos, et tam subtiliter est disputatum, in sanctitate constitui, doctrinam de hac re ex Spiritu Sancto desumptam, non inutile erit in medium afferri. Qui cum per os Petri doceat, divinae consortes naturae homines effici, per maxima et pretiosa promissa, quae per Jesum Christum donavit nobis Deus (*n*), per

gra-

gratiam scilicet sanctificantem, ex qua totius sanctitatis ratio in hominibus derivatur, sanctitatem profecto naturam Dei esse, testimonio suo apertissime declaravit. Si igitur summa, perfecta atque infinita puritas, quae est sanctitas, Dei naturam constituit, si, ut rectius loquamur, ipsa Dei natura, puritas summa est, atque supereminens sanctitas, nullam certe aliam, aeque ac sanctitatis laudem, sanctissimae Dei majestati credimus convenire. Et quanta hic enimvero laudationis messis exsurgeret, modo ut in eam sanctitatis purissimae claritatem, quae Seraphim quoque oculos lucis aeternae fulgore perstringit, nostrae intelligentiae aciem possemus intendere! Verum quis, non dico apposite atque ornate loqui, sed ne cogitatione quidem assequi se posse arbitretur, quanta illius sit plenitudo sanctitatis, quae praeter intemeratae munditiae praeclarissimum decus, tot insuper egregiarum virtutum insignibus, excellentissimarumque perfectionum ornamentis, unde totius moralis bonitatis pulchritudo perficitur, magnificentissime amicta praefulget? Hoc unum equidem scimus, quod, cum nihil mediocre, nihil circumscriptum, emensum nihil in se patiatur, natura sua perfectissimus, Deus, ea proinde omnia, unde, nostro intelligendi modo, sanctitas maxima, infinita, perfectissima exsistit, supereminenter in se, sanctissimus Deus attributa complectitur. Quare cum sanctum dicimus Deum, eundem pariter, in primis utique sapientissimum, in judiciis justum, in consiliis rectum, in verbis veracem, in promissis fidelem, in bonitate summum, in misericordiis copiosum, in suis quibusvis perfectionibus infinitum esse, atque immutabilem intelligimus; et quoties Dei sapientia et justitia, quoties Dei veritas et misericordia, quoties Dei aequitas et bonitas praedicantur, majestatis Dei sanctitas, sanctitatis Dei in omnibus operibus suis, magnificentia et gloria exaltatur.

Quae

Quae sunt autem divinae hujus sanctitatis amplissimae testimonia? Omnino illustria, praeclara, uniformia, certissima. Ac ne latius evagando cuncta recenseam, ex his, quae propiora nobis sunt, cordis nostri conscientiae intimum sensum satis erit interrogare. Licet namque hominis animus, culpae originalis contagione corruptus, quam longissime ab ea, secundum quam fuerat conditus, justitiae sanctitate recesserit, quaedam nihilominus divinae in se imaginis vestigia adhuc retinet, ita ut, quae sunt justitiae consentanea recte in moribus laudans, et quae sunt contraria reprehendens, supra rationalem animam, supra omnes intelligentias, unam legem esse summam, incommutabilem, sempiternam, quae sit regula totius humanae justitiae, et totius rectitudinis norma, testatur. Haec autem in omnes diffusa, in omnibus insita, sempiterna, semper constans, atque incommutabilis lex, quid aliud profecto est, quam summa divinae Sapientiae ratio, Dei veritas et voluntas, essentialis ipsà sanctitas Dei, quae justitiam volens, quidquid est justitiae contrarium, naturaliter adversatur? Quare fit, ut rationalis hominis animus, quod rectum est probans, et reijciens quod non rectum est, conditoris sui sanctitati, quae per opus legis scriptum in cordibus (o), per signatum super omnes vultus Dei lumen (p), sui quadam veluti irradiatione se manifestat, testimonium reddit conscientia sua luculentissimum. Et quoniam de lege dicimus, quam praeclarum quoque sanctitatis Dei testimonium est altera ea lex, quam, a priori illa aeterna aberrante hominum genere, in revelatione sua Deus ipse tradens populo suo, misericorditer addere dignatus est! Quae cum ab eadem divinae Sapientiae ratione procedat, et per salutaria praecepta, homines ab errorum tenebris ad sapientiae lumen, a vitiis ad virtutem convertat, lex sancta et immaculata (q), mandatum sanctum, et justum, et bonum (r), te-

testimonium Domini fidele (*s*), in scripturis jure optimo nominatur. Hujusmodi autem testimoniis, quae omnium maxima habentur et certissima, divina scripturarum eloquia plena sunt, in quibus, prae caeteris, quae de magnitudine Dei praedicari possunt, sanctitas et justitia ejus (justitiae etenim nomine sanctitas in scripturis appellari solet) ipsius Dei Spiritus ore commemorantur. Atque ut ex pluribus, quae sunt summa complectar, quid praeclarius testimonio, quod de se ipso perhibet Deus, cum sanctum se (*t*), et sanctum suum nomen (*u*) saepissime appellat? quid illustrius, quam Deum in sanctitate magnificum (*v*), quid plenius, quam sanctum in omnibus operibus suis (*x*) praedicari? Hinc est, quod laudationem Domini absolutissimam instituens David, cum gloriae sanctitatis ejus magnificentiam initio proposuisset, divinae hujus sanctitatis veluti partes, praeclarissima earum virtutum insignia, quae Deum nobis praecipue commendant, justitiam, benignitatem, misericordiam, suavitatem, in verbis fidelitatem, effusam bonitatis liberalitatem, insuper potentiae, dominationis, providentiae magnitudinem, carmine vere magnifico exornans commemorat; Deumque in omnibus operibus suis sanctum esse pronuncians, sanctissimo Dei majestatis nomini, quotquot fieri usquam possint, amplissimo hoc omnium uno, praeconia complectitur. Quae cum ita sint, cumque et ex theologorum doctrinis, et ex testimoniorum fide, et ex divini oraculi auctoritate, tantam in Deo sanctitatis amplitudinem clarescere intelligamus, nihil profecto jucundius, nihil pretiosius, nihil augustius invenimus, quo Deum praedicare possimus, nisi ut Sanctum appellemus, quodlibet aliud inferius Deo, inferius Domino esse intelligentes (*y*). Cum vero sanctum dicimus Deum, sanctam quidem intelligimus Trinitatem, quae Deus unus est; atque ita sanctum Deum Patrem, sanctum Deum

Fi-

Filium, sanctum Deum Paraclitum Spiritum praedicamus, ut tribus sanctificationibus in unam dominationem ac deitatem coeuntibus (*z*), unam Dei sanctitatem, in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, inseparabiliter indivisam celebremus.

Quam divinam, inaestimabilem, superexcellentem, in cunctis operibus suis admirabilem atque ineffabilem sanctitatem, dum virtutum omnium collaudat caelestis exercitus, dum caeli et terra solemniter gratulantur, et cuncta quae in eis sunt, mirabilia ejus praedicant et magnitudinem, nos quoque, qui venerandam in nobismetipsis Sanctae Trinitatis imaginem agnoscentes, sanctitatis Dei beneficia innumera experti, ejus magnificentiam in providentiae suae dispensatione admiramur, hymnis et canticis spiritualibus, maxime vero nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate meritorum, sanctitatem hanc praeclarissimam, quantum possumus, imitari satagentes, laudare, ac praeconio hominis dignissimo amplificare contendamus. Pudeat eos, qui in tanta laudis consensione, nescio quo commentitiae libertatis aestu licentius abrepti, multo quoque magis religionis penitus abolendae furore inflammati, cum jam antea apud se, deinde apud exteros, vesanae licentiae suae et incredulitatis contagione, latrociniis praeterea, et vastationibus, sanguine et caedibus luctuosis, omni demum nefario scelere, pulcherrimam orbis partem totam undique perturbaverint, orbem reliquum sui usquequaque nominis infamia compleverint; pergentes modo in deliramentis suis impiisque machinamentis, seditiosi, sacrilegi, perjuri, parricidae, efferati, flagitiosorum hominum scelestissimi, sanctitatis Dei majestatem, dominationemque blasphemant (*aa*). Quamquam, et in hoc ipso testimonium effulget, mihi videtur, sanctitatis Dei praeclarissimum. Cum namque ad sanctitatem, quae omnem abominatur iniquitatem, justitia pertineat, qua hominum scelera, sanctus et fortis aemulator ulciscitur De-

us

us (*bb*), ex miserrimo quidem malorum prospectu, quibu aut jamdudum furiis criminum exagitati suorum, flagitiosi illi homines affliguntur, aut quae insipientem populum in dies majora circumstant, super omnem impietatem et injustitiam eorum, justitiae Dei sanctitas mirabiliter revelatur (*cc*). Quod etenim confusi in cogitationibus suis, rerum omnium ordine perturbato, civilibus inter se tot annos dissensionibus invicem dilacerati, metum inter et odia et contentiones, fraterna quotidie caede faedentur; quod fere omnes exterae gentes, tantorum scelerum indignatione excitatae, nequissimorum hominum facta nomenque exsecrantes, adversus eos, tamquam adversus humani generis hostes, totis viribus conjuraverint; admirabilem in his omnibus sanctae justitiae Dei dispensationem perspicimus, qui profligatissimos hosce licentiae et incredulitatis auctores propagatoresque, teterrimo jam nunc supplicio persequitur. Nisi quod, cum persuasum nobis sit, quod non sineret bonus Deus fieri male, nisi omnipotens et de malo facere posset bene (*dd*) (quod est aliud sanctitatis Dei non minus illustre argumentum), in spem adducimur, fore ut homines illi, Dei ipsius gratiae adjuvante virtute, castigatos se ob superbiam cordis, salubriter agnoscentes, in melius conversi, ad eum, a quo non impune defecerant, per justitiae opera revertantur; atque ut caeterae gentes, tam terribili unius populi, antea florentissimi, exemplo deterritae, a perniciosis novitatibus abhorrere perdiscant, potestatibus a Deo constitutis fideliores in Domino obtemperent, in fide, et in religionis studio ferventiores magis magisque confirmentur.

Atque ut illuc tandem, unde est profecta revertatur oratio, et laudatio ejus finem habeat, cujus magnitudinis non est finis (*ee*), Trinitatis augustissimae majestatem in deitatis unitate catholice confitentes, et illam supereminentem trini mi-

unius Dei indivisibilem sanctitatem, quae in suis omnibus sapientiae, justitiae, et gratiae operibus manifestatur, sanctissime venerantes, communi laudum modulatione cum superioribus mundo exercitibus, divinae huic Trinitati individuae hymnum sacratissimum concinamus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. Ut autem cumulatius gloria Domini omnis terra impleatur, Sanctum Deum Patrem, Sanctum Deum Filium, Sanctum Deum Paraclitum Spiritum, Trinitatem sanctissimam in una divinitatis majestate precemur, ut de tantae plenitudine sanctitatis, multiformis suae gratiae virtutem, quae sanctificationem operatur, super christianum populum, pro benignitate sua, largissime effundat; ac per eam fiat, ut nequissimi hujus saeculi pravitate sublata, et reviviscente in cordibus Dei charitate, reddita demum Europae pace, et religionis cultu amplificato, in moribus, et in felicitate christianae reipublicae, sanctitas Dei, per orbem terrarum, perenni sanctificatione glorificetur.



(a) *Psal.* 144. 21.
(b) *S. Leo. Serm.* 3. *de Pent.*
(c) *Isa.* 6. 3.
(d) *Comment. in Isa. lib.* 3.
(e) *de Fide ad Pet. cap.* 1.
(f) *S. Greg. M. Homil.* 16 *in Ezech. et Exp. Mor. in Iob lib.* 29. *cap.* 16. *S. Athan. Orat. de Sal. Adv. Chr. S. Epiphan. in Anachor. S. Cyril. Alex. Dial.* 6. *ad Herm. S. Greg. Nyssen. lib.* 1. *cont. Eunom. S. Ioan. Damasc. de Hym. Trisag.*
(g) *lib.* 3. *de Spir. San. cap.* 18.
(h) *Interpr. in Isa. cap.* 6.
(i) *S. Aug. de Symb. ad Cathecum. Serm.* 1 *cap.* 2.
(k) *S. Basil. ad Amph. de Spir. San.*
(l) *de Divin. Nomin. cap.* 12.
(m) *Thom. Card. Cajet. de Vio Orat. ad Conc. Later. V.*
(n) *Epist. II.* 1. 4.
(o) *ad Rom.* 2. 15.
(p) *Psal.* 4. 7.
(q) *Psal.* 18. 8.
(r) *ad Rom.* 7. 12.
(s) *Psal.* 18. 8.
(t) *Levit.* 2. 44.
(u) *Ezech.* 39. 7.
(v) *Exod.* 15. 11.
(x) *Psal.* 144. 13.
(y) *S. Ambr. lib.* 3. *de Spir. San. cap.* 18.
(z) *S. Greg. Naz. Orat.* 38. *in Chr. Nat.*
(aa) *Epist. S. Iudæ* 8.
(bb) *Iosu.* 24. 19.
(cc) *ad Rom.* 1. 18.
(dd) *S. Aug. Enchir. cap.* 101.
(ee) *Psal.* 144. 3.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Franc. Xav. Passeri Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Vincen. Pani Ord. Praedicat. Sacri Palatii Apostolici Magister.